



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Prima Duo Sæcula Complectens

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 13322648

§. 43. Philosophi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66002)

Circa idem tempus quidam Menander
vivebat inter Discipulos Simonis Magi
facile primus. Erat, sicut Magister ejus,
Samaritanus ex oppido Capparetaia di-
cto. Nec minus ei erat cum Dæmoni-
bus commercium, & in hac arte Magi-
ster multos Antiochiæ suis præstigiis se-
duxit. Se, nempe Simonis exemplo, a
virtute hominibus incognita in hunc
mundum fuisse missum, dicebat, pro
omnium Salute; neminem salvandum,
nisi in suo Nomine baptizatum, suum au-
tem baptismum veram esse Resurrectio-
nem, ita ut ejus Discipuli jam in hoc
mundo futuri essent immortales. Nihil-
ominus pauci erant, qui hunc baptismum
expeterent.

Sæculum I.
A. C. 73.

*Iren. lib. I.
c. 21.*

*Tertul. de
ann. c. 50.*

§. XLIII.

Philosophi.

Etiam Dæmoni sui Apostoli non deerant,
quos ad Paganos mitteret. Multi
tunc Philosophi mundum pervagabantur,
& in amplis civitatibus commorati, per-
orabant ad populum, quasi bonos mores
reducturi, reipsa vero magis, magisque
antiquis superstitionibus immergebant.
Super omnes alios fama eminuit Apollo-
nius Thyanæus; hunc sequebatur Eu-
phrates Tyrius, primum amicorum ejus
intimus, deinde adversariorum insensissi-
mus.

*Plin. l. 1. ep.
10. Philost.
Apoll. lib. 4.
5. 6. 7. Plin.
lib. 3. ep. 11.*

Sæculum I.
A. C. 73.

mus. Erat Euphrates vir corpore magnus, & spectabilis, cui prolixum capillitium, & barba candida non parum addebant ornamenti. Profundam scientiam politissimi mores decorabant. Alloquium ejus mansuetum, vita autem austera, nam hi Philosophi deliciarum, & dolorum contemptum ostentabant; quos inter numerari merentur Demetrius Cynicus, Musonius, & gener ejus Artemidorus. Musonius unicus Philosophorum fuit, cui a Vespasiano, cæteris omnibus Roma pulsus, manendi licentia data est. Talis erat etiam Damis Pythagoricus, Epictetes Stoicus, Lucianus Samosatenus Epicureus, Diogenes junior Cynicus, hic semel propter convitia in populum in publico Theatro virgis cæsus est, alius nomine Heras propter similem audaciam capite truncatus est. His declamatoribus accensendus est Dio Prusanus, Chrysostomus, id est, os aureum cognominatus.

Xiphil.
Vesp. p. 220.

idem p. 222.

Philost. Ap.
l. 5. c. 12.

id. de Soph.

§. XLIV.

Liber Pastoris. Visiones.

V. testimon.
vet. in edit.
Cotelerii.

Hier. Script.

Circa id temporis, nempe sub Pontificatu S. Clementis Romæ Hermas degebat, libri Pastoris auctor, qui a multis olim pro libro Canonico habitus est, & ut talis ab aliquibus SS. Patrum antiquissimis citatur. Idem Hermas esse creditur,